



1. Alberti / Valent. / diff. de
munificentia Divina in
N. T. Lipsie, 1668.
2. Arcularij / Danz. / diff. sistens
theses Theologice de Questio-
nibus aliquot controversis,
Marburgi, 1695.
3. Hunnij / Azid. / proposi-
tiones theologice de eter-
na predestinatione filio-
rum Dei ad Salutem,
francesfurti, 1594.



99 A 6909

II //

COMMENTATIONIS
DE
ADPLICATIONE METHODI SCIENTIFICAE
A D
THEOLOGIAM REVELATAM
SPECIMEN QVARTVM



IN LVCEM DATVM
A
M. IACOBO CARPOVIO
ILL. GYMNASII VINAR. DIRECTORE MATH. P. P.
REGIAE BEROLIN. ACADEMIAE SCIENTIARVM ET LITTERARVM ELEGANTIORVM SOBALI.

I E N A E,
APVD IOH. ADAMI MELCHIORIS VIDVAE, MDCCLIII.

COMMENTATIONIS
DE
APPLICACIONE METHODI SCIENTIFICAE
AD
THEOLOGIAM REVELATAM
SPECIMEN QUARTVM



IN LUCEM DATVM
A
M. IACOBQ. CARPVIO
ILL. GYMNASII VNIERS. DIRECTORE MATR. P. T.
REGNI BRASILENSIS ACADEMIE SCIENTIARVM ET LITTERARVM BRASILIENSIS SOCIETATIS
LEIPZIGAE
A. P. T. JOH. ADAMI MELCHIORIS VIVAE, MEDICINAE





LECTORI CHRISTIANO

S. P.

I.



duplicationem methodi mathematicae ad Theologiam revelatam, in praefatione Tomi primi systematis Theologici a me explicatam defensamque, cum Dn. Clugius, Theologus Wittebergensis, oppugnatum iret in *Singular. Theol. Carpoi. P. II. c. 4. p. 96. seqq.* tres mihi, generatim spectata causa, sententias opposuit, quarum postrema est: *Singulare maxime est, quod Dn. Carpoi. quatuor res theologicas cognoscendi demonstrandique constituat principia* (scil. definitiones, axiomata cum postulatis, experientias et effata sacrae scripturae), *in iis que discis Scripturae sacrae ultimum demum locum concedat* (Spec. I. §. 18.). Quare dum primae secundaeque sententiae in superioribus speciminibus satisfactum est, sequitur iam, ut tertiam pariter ad Lydium veritatis lapidem exigam; id quod ita fiet, ut primo de principio cognoscendi in theologia reuelata generatim, simulque de rectae rationis in illa usu, deinde de quatuor illis principiorum cognoscendi in theologia generibus specialibus, quorum iam mentio facta est, disputem.

*Auctoris is
sicutum.*

K o

II

II.

Principium
cognoscendi
quid?

Quemadmodum omnem propositionem, quatenus ex illa cognoscitur propositio alia, principium cognoscendi adpellavi (Spec. I. § 3.): ita, significatione vocis paululum extensa, omne id, quod rationem continet, vnde alterum cognoscendum est, respectu alterius *principium cognoscendi* dicitur.

III.

Sacra Scri-
ptura est
Theologiae
reuelatae
principium
cognoscendi.

Hoc sensu vero sacram scripturam Theologiae reuelatae principium cognoscendi generale esse ita, vt, si quid ad Theologiam reuelatam pertinere dicatur, illud ex scriptura sacra constare debeat, equis tam vecors animi erit, vt in dubium vocet? Est enim *theologia reuelata* (viatorum), vti equidem definiui (Theol. Rev. T. I. §. 363), scientia de modo, Deum per fidem in Christum vitaeque sanctitatem colendis, ex sacra scriptura adquisita; nec aliam ob causam illa reuelata dicitur, quam quia reuelatio scripturae sacrae rationem continet, vnde dogmata illius cognoscenda sunt. Docui sic Theol. Rev. T. I. §. 366. seq.

IV.

Principium
cognoscendi
adaequatum
et vnicum
quid?

Principium cognoscendi, quod omnium cognoscendorum (in certa disciplina) rationem continet, *adaequatum* dicitur; *unicum* vero, cui nullum aliud adiungendum est. Ita, vt ab opposito rem illustrem, in historia gentium scriptura sacra est quidem principium cognoscendi, dum relationes illius rationem, cur de factis factisque gentium multa pro veris habenda sint, continet; sed non est adaequatum, quia de factis factisque gentium multa cognoscenda supersunt, quorum ratio non in relatione sacrarum litterarum, sed profanorum historicorum continetur. Et quia sic in rebus historicis alia principia cognoscendi scripturae adiungenda sunt, non est vnicum.

V.

Scriptura est
Theologiae
reuelatae
principium
cognoscendi
adaequatum.

Et contrario quod ad theologiam reuelatam attinet, huic sacrae scripturae tale principium cognoscendi est, vt effata illius rationem omnium, quae in illa sunt cognoscenda vel statuenda, contineant. Nam omnia, quae ad salutem homini cognoscenda atque agenda sunt, sacra scriptura per sufficientiam suam comprehendit (Theol. Rev. T. I. §. 262.); sed haec ipsa sunt, quae theologia reuelata in systema redigit (Theol. Rev. T. I. §. 364.). Itaque theologiae reuelatae sacram scripturam esse principium cognoscendi adaequatum, sequitur (§. 4.).

VI.

Cuiusque cognoscendi principio aliud adiungendum non est, *Et unicum* illud est unicum (§. 4.). Enim vero principio cognoscendi adaequato disciplinae, quia id rationem omnium, in ista disciplina cognoscendorum, continet (§. 4.), adiungere aliud, consentaneum non est. Quare quidquid disciplinae principium cognoscendi adaequatum est, id ei est pariter unicum. Ex quo fit porro, ut sacra scriptura sit Theologiae reuelatae principium cognoscendi unicum, quia est adaequatum (§. 5.); vel, quod idem valet, sola scriptura sacra est principium cognoscendi theologiae reuelatae. Habes haec, Lector, a me proposita (Theol. Rev. T. I. §. 367).

VII.

Quo sic se habente (§. 6.), neque aliquid in theologia reuelata pro vero habendum est ob testimonium librorum apocryphorum, neque ob traditionem, neque ob decreta conciliorum, neque ob consensum patrum ecclesiae, aut ecclesiae ipsius, neque ob effatum pontificis Romani, neque ob statuta librorum symbolicorum, neque ob sententiam Theologi cuiuspiam, nec denique ob nouas inspirationes aut reuelationes perhibitas: Haec omnia enim non esse scripturam sacram, nemo non videt. Eoque minus haec omnia in numero principiorum cognoscendi theologiae reuelatae haberi possunt, quia formido erroris a nullo eorum abest, quae ex aduerso a principiis cognoscendi in theologia reuelata, ne ipsa dogmata illius fluctuationi subsint, abesse debet; quemadmodum obseruauit (Th. Rev. T. I. §. 368. sch.). Quin etiam dum sacra scriptura sola est principium cognoscendi theologiae reuelatae (§. 6.), fit inde, ut ratio sana sola principium cognoscendi in theologia reuelata esse nequeat. Quare quemadmodum quod ius naturae docet, id non est eatenus iuris ciuilibus, licet ius ciuile idem possit praecipere: ita quod sana ratio sola, nullis aliunde adscitis principiis, docet, illud eatenus non est veritas theologica; licet in se sit verum, et licet simul veritas theologica sit; si et quatenus sacra scriptura idem doceat. Exemplo sunt omnes articuli mixti, qui, quatenus ex solius rationis rectae principiis deriuantur, sunt veritates philosophicae; sunt autem theologicae; quatenus sacrae litterae eosdem tradunt.

VIII.

Scriptura est
principium
cognoscendi
vel *κατὰ*
τὸ πρῶτον,
vel per con-
sequentiam,

Sed duplici modo sacra scriptura propositionis theologicae principium cognoscendi fieri potest; quorum est alter, ut propositio theologica ex eo, quod verba scripturae secundum sensum litteralem docent, intelligatur; alter, ut ex effato scripturae, recte intellecto, deriuetur. Nam, ut de posteriori tantum (quia de priori dubium non est) dicam, quoniam Deus, omnem rerum atque veritatum nexum distinctissime intelligens (Theol. Natur. §. 207), omnia effatorum suorum confectaria praeuidit, nihilque minus effata sua in sacra scriptura talia, nec alia esse, voluit, effatorum suorum confectaria legitima omnia intendisse, putandus est. Quae dum intendit, quidquid ex effato scripturae legitime sequitur, id non minus est veritas reuelata atque theologica, quam illud, quod *τὸ πρῶτον* scripturae docet. Sed potest etiam interdum contingere, ut vna eademque propositio theologica simul ex alio effato scripturae per consequentiam legitimam fluat, simul in alio *κατὰ τὸ πρῶτον* proponatur. Exemplum inter multa alia habet in Diuinitate filii Dei et spiritus sancti demonstrata (Theol. Rev. T. I. §. 783. seqq.).

IX.

vel per con-
sequentiam
rursus du-
bici modo.

Si quando propositio theologica ex effato scripturae sacrae deriuatur, per syllogismum, siue explicitum, siue implicitum, qui in explicitum facile permutatur, id fieri, in aperto est. Nam praeter syllogismum nulla est, aliam ex alia veritatem deriuandi, via. Syllogismus autem duas praemissas necessario postulat, quia, priusquam in conclusione notiones subiecti et praedicati inter se conuenire dicatur, eas in vno tertio, medio scilicet termino, conuenire, in maiore atque minore dicendum est; idque secundum canonem: *quaecunque conueniunt in vno tertio, illa conueniunt inter se*. Itaque in propositione theologica, ex effato scripturae deriuanda, duas praemissas adesse debere, exploratum habemus. Sed dum ex effato scripturae propositio deriuanda ponitur, aut ita ex effato scripturae deriuabitur, ut ambae praemissae effata scripturae sint, aut ita, ut saltim alterutra. Vtriusque exempla vide, si placet, Th. Rev. T. I. §. 225. Sch.

X.

Veritates
rationis sa-
nae possunt
um effatis

Si quaeras autem: vnde, effato scripturae alterutram praemissam ad conclusionem theologiam inferendam suppeditante, altera petenda sit? responso in promptu est. Propositio, ad conclusionem theologiam inferendam cum effato scripturae coniungenda, ante omnia

debet vera esse, ne ex falso principio conclusio falsa sequatur. Quae Scripturae
 cunque igitur propositio vera est, illa potest cum effato scripturae, ad *conungi ad*
 conclusionem theologiam inferendam, coniungi. Sed licet omnis au- *conclusionem*
 thoritas mera humana erroris periculo exposita sit, tamen quodcunque sa- *inferendam.*
 na ratio euidenter docet, illud veritas diuina et diuinitus manifestatum
 est (El. Theol. nat. §. 643. 666.). Quid obstat igitur, quo minus, ad
 conclusionem inferendam, ex complexu veritatum sanae rationis altera
 praemissa petatur, postquam alteram effatum scripturae suppeditauit?
 Sane ut vna veritas alteri non repugnat: ita reuelatio scripturae non
 tollit, quod sana docet ratio, sed ante ponit, et praeterea partim con-
 firmat, partim defectum eius supplet. Vnde qui, ex sana ratione sum-
 ptam, propositionem cum veritate theologica ad conclusionem inferen-
 dam coniungit, is idem facit, quod qui axioma arithmeticum in Geo-
 metriam ad geometricam conclusionem eliciendam, aut qui theorema
 geometricum in Astronomiam ad astronomicam conclusionem deri-
 uandam transfert; quod recte fieri, a nemine vnquam dubitatum est.
 Ipse Christus, doctor sapientissimus, aduersus Sadducaeos ex Exod. III, 6,
 aduersus Pharisaeos autem ex Pf. CX, 1. disputans, aduersus illos princi-
 pium rationis rectae: *Deus non est Deus mortuorum, sed viventium;*
 aduersus hos vero hoc: *quemcunque Dauid, rex supremum, dominum*
suum vocat, ille est verus Deus, adumpit Matth. XXII, 32. 43. 44.
 45.; quod male factum esset, nisi propositionem rationis rectae per me-
 dium terminum coniungere cum effato scripturae, ad conclusionem theo-
 logicam inferendam, liceret. Non igitur mirum est, conubium illud ratio-
 nis sanae atque reuelationis dudum agnouisse et docuisse Theologos, quos
 allegarem, nisi contra me disputantis Dn. Clugii testimonia, supra a me
 collecta (Spec. III, §. 12), pro eodem conubio tuendo mihi iam sufficerent.

XI.

In omni syllogismo conclusio deriuatur ex ambabus praemissis. *Talis conclusio*
 siquidem maior in se continet rationem, cur ex minore, et minor, cur *quae ba-*
 ex maiore conclusio sequatur. Tolle enim maiorem propositionem, *beat princ-*
 nec poteris ex minore, et tolle minorem, nec poteris ex maiore con- *pia cogno-*
 clusionem ducere. Cum igitur propositio, quatenus ex illa cognosci- *scendi?*
 tur propositio alia, dicatur principium cognoscendi (Spec. I, §. 3); sequi-
 tur, ut minor pariter atque maior conclusionis inferendae principia
 cognoscendi sint. Itaque si conclusio theologica ex altera praemissa
 rationis sanae, altera reuelationis scripturae colligatur (quod recte fieri,
 ostensum est §. 8.), in conclusione illa tam veritas rationis, quam effa-
 tum

*an sit
theologica?* tum scripturae sunt principia cognoscendi. Cur autem talis conclusio de fide, h. e. theologica sit, etiamsi ratio pariter ac reuelatio ad illam inferendam concurrant, ratio est in promptu. Conclusio talis autem est veritas rationis, aut reuelationis. Sed non est rationis, quia ad veritatem rationis requiritur, vt ambae praemissae, ex quibus deriuatur, ex sola ratione sint. Ergo talis conclusio est reuelationis, h. e. theologica, quemadmodum sic docui Theol. Rev. T. I. §. 228. Sch. 1. Interea tamen conclusio, cuius ambae praemissae ex ratione sanae sunt, ipsa quoque rationis sanae sit, potest tamen fieri, vt sit etiam reuelata, si sacrae literae, eandem doceant.

XII.

*In ratio sana
a principii
m cognoscendi
in theologia
?*

Propositio, ex altera praemissa rationis sanae, altera reuelationis deriuata, praeter scripturam habet rationem sanam principium cognoscendi (§. 11.). Cum igitur nihilominus talis propositio sit de fide, et ad theologiam reuelatam pertineat (§. 11.), ratione habita propositionum istius generis, ratio sana in theologia reuelata principium cognoscendi est.

XIII.

*olutio con-
adictionis
parentis.*

Repugnantia sunt, inquis, rationem rectam habere pro principio cognoscendi in theologia reuelata, et non habere, quod vtrumque a me fiat (§. 7. 12.). Distinguas, quaeso, distinguenda, et omnia conspirabunt amice. Ratio sana sola principium cognoscendi in theologia non est hoc sensu, vt propositio, ex solis rationis principii deriuata, possit eatenus theologica esse; aut vt conclusionem theologicam, vt talem, ex sola ratione deriuare queas. Sed hoc non impedit, quo minus propositio, ad conclusionem theologicam ex effato scripturae colligendam, in theologia deficiens, ex ante positurum veritatum rationis pelago defumatur, atque sic veritas rationis simul cum effato scripturae fiat conclusionis theologicae principium cognoscendi, dum praemissa illa rationis manet, vt est, philosophica, conclusio autem theologica est; neque adeo inde ratio sola principium cognoscendi in theologicis veritatibus fit. Habes adhuc aliam responsum (Theol. Rev. T. I. §. 368. Sch. 2. Ed. 2.). Nempe sacra scriptura tale est theologiae reuelatae principium cognoscendi, quod ex auctoritate, puta, diuina, pendet. Dum ea igitur vnicum theologiae reuelatae principium cognoscendi dicitur, omnia alia prin-

ci-

cipia cognoscendi, quae ex auctoritate pendent, excluduntur; qualia sunt decreta conciliorum, consensus patrum &c. Sed propositiones rationis rectae ex auctoritate non pendent, dum eas aut per se euidentibus esse, aut ex principiis per se euidentibus recte demonstrari, necesse est. Ergo in demonstrationibus theologicis propositiones rationis rectae non excluduntur eo, quod sacra scriptura vnicum in theologia reuelata principium cognoscendi sit. Solent etiam non nulli distinguere inter *principium cognoscendi* proprium et commune, *commune* vocantes, quod ad plures disciplinas pertinet, *proprium*, quod ad hanc istamue solum. Quo posito discrimine, sacra scriptura, dum ad theologiam reuelatam solum pertinet ad conclusiones theologicas inferendas (§. 6.), est theologiae reuelatae principium cognoscendi proprium idque vnicum; sed ratio sana commune est, quia non soli theologiae reuelatae, sed etiam iurisprudentiae, philosophiae &c. principia concludendi suppeditat.

XIV.

Sed dum iuxta reuelationem rationem rectam principia cognoscendi suppeditare ad conclusiones theologicas inferendas, adfero, obstruenda est dubitatio, quae multorum mentes suspensas teneat. Ioh. Schroederus in *Tr. Theologico de principio theologiae p. 182.* *Non illud negari debet, inquit, philosophiam a theologia differre non solum deficientibus, sed etiam pugnantibus doctrinis.* Quare dum pugnantia vnire est Aethiopem lauare, nihil is agere, qui conubium rationis cum reuelatione tentet, videatur. Sed fateor, me huic sententiae non assentiri. Contradictoria enim dum esse nequeunt, nunquam fieri potest, vt vna veritas repugnet alteri, sed repugnantium vno vero, alterum falsum esse oportet. Quare dogmate theologico et philosophico sibi inuicem repugnantibus, aut, si theologicum verum est, fallitur philosophicum; aut, si verum est philosophicum, quod theologicum putatur esse, id est vel explicatio scripturae falsa, vel ex effato scripturae male ductum confectarium, vel a scriptura prorsus alienum, atque, vt verbo dicam, error; aut contradictio inter dogma theologicum atque philosophicum non vera, sed adparens est. Exemplum primi habes in emanatione rerum creatarum ex Deo; alterius in transubstantiatione Pontificiorum atque in absoluto decreto Reformatorum; tertii in canone: *ex nihilo nil*

Solutio dubitationis expugnatio-
tionis et fidei,

fit, qui verus est quidem naturaliter, sed ita creationi ex nihilo, supernaturaliter factae, non obstat. Itaque veritates rationis sanae cum effatis scripturae, vel propositionibus theologicis ad conclusiones inferendas recte coniungi, manet saluum.

XV.

Et ex locis Paulinis.

At grauior forsitan dubitatio ex Paulo nascitur. Ille enim Colossenses hortatur Col. II. 8, *ut videant, ne quis sit, qui eos depraedetur per philosophiam et inanem seductionem, et iterum testatur 2 Cor. X. 4. 5, se sociosque ratiocinationes euertere omnemque sublimitatem, quae sese extollit aduersus cognitionem Dei, et in captiuitatem redigere omnem cogitationem ad obediendum Christo; ad quae loca plerumque ososores philosophiae, in theologia adhibendae, praepostere prouocant. At vero quod ad locum priorem attinet, rectissime quidem apostolus Colossenses a philosophia sui temporis, quatenus illa euangelio de Christo opponebatur Act. XVII. 18. 32. 1 Cor. I. 23, reuocat. Quid vero inde ad ea, quae sana ratio euidenter vera esse, intelligit? Haec si distant ab hypothsibus Academicorum et Stoicorum et Epicureorum et aliarum sectarum, apostoli tempore florentium, ut distant, falleris, verba apostoli ad illa transferens, indeque ad expellenda e theologia sanae rationis principia concludens. Ut autem de posteriori loco dicam, apostolus loquitur de eo, quod se effert contra cognitionem Dei, et refractarium Christo est, illudque vi verbi diuini se destruere, atque captiuare, testatur. Sed veritates sanae rationis neque cognitioni Dei verae, neque Christo refragantur, quia vna veritas alteri repugnare nequit. Ergo rationis sanae vsui in veritatibus theologicis, tantum abest, ut apostolus se opponat, ut errores rationis corruptae oppugnatos atque destructos velit.*

XVI.

Quomodo oriatur ratiocinatio polysyllogistica theologica?

Quemadmodum igitur cum effato scripturae propositio rationis rectae per medium terminum coniungi potest, ad conclusionem theologicam colligendam (§. 10. seqq.): ita conclusio haec, tanquam noua praemissa, iterum cum alia propositione, siue ea sit rationis, siue reuelationis, per medium terminum copulari poterit, vnde noua prodibit conclusio; qua iterum propositioni nouae, siue ex ratione, siue ex

reuelatione sumptæ, adiuncta, tertiam habebis conclusionem; licebitque in hoc nexu, quousque poteris vel volueris, progredi. Sed omnes illæ conclusiones, licet vel omnes post primum syllogismum adscitæ præmissæ ex ratione sint, erunt theologicæ et de fide. Nam quidquid ex principio theologico sequitur, illud non potest non theologicum esse. Cum igitur omnes illæ conclusiones post primam sequantur ex conclusione syllogismi primi, quæ, ob alteram præmissam scripturæ, erit veritas theologica (§. 11.), omnes illæ conclusiones post primam sunt, pariter ac prima, veritates theologicæ. Potes igitur ex hoc ipso, quid sit *ratiocinatio polysyllogistica theologica*, intelligere.

XVII.

Si dubitas vero, verane sit conclusio, cuius altera præmissa reuelata, altera ex ratione sana est? Logica tibi nullo negotio omnem scrupulum eximet. Veritas conclusionis in omni syllogismo ex veritate præmissarum atque ex forma concludendi legitima, quam regula syllogismorum ostendunt, pendet. Veritatem igitur conclusionis istiusmodi examinaturus, ad examen ante omnia reuoca syllogismi formam; peruide posthæc, verumne sensum litteralem essati scripturæ, quod altera præmissarum est, secundum regulas interpretandi arripueris; dispice denique, vtrum præmissa, ex ratione adsumpta, principium cognoscendi euidens, an ex principiis cognoscendi euidencibus recte demonstrata sit? Quodsi vero habeas ratiocinationem polysyllogisticam theologicam, de qua paulo antea dixi, eandem curam non tantum in forma atque præmissis singulorum syllogismorum, rite examinandis, fige, sed etiam *τὴν ἐπιθόρυρα* connexionis syllogismorum examina, ne forte conclusio præcedentis syllogismi se aliter habeat, ac præmissa sequentis, quæ ex conclusione præcedentis facta est. Nulli enim horum si quidquam vitii insit, tantum abest, vt vlla erroris formido esse debeat, vt de conclusionis veritate sis certissimus. Sed potes hæc etiam cum eis, quæ de demonstratione atque de probationibus mediatis in theologia dixi (Spec. I. §. 17. II. §. 3. seqq.), comparare; quia ex iam dictis fontes principiorum concludendi intelligis.

XVIII.

Veluti quæ dixi hæctenus, pertinent ad vsum principiorum materialium rationis sanæ (obiectiue sumptæ) in theologia reuelata:

De vsum principiorum

rationis for-
malium in
theologia,

ita vsus principiorum formalium, quæ sana ratio suppeditat, hoc loco etiam paucissimis tangendus est. Sunt autem *principia rationis formalia*, quæ faciunt ad distinctam, solidam accuratamque veritatis cognitionem. Nempe Logica regulas recte definiendi, Logica formam recte concludendi, Logica artem demonstrandi, interpretandi atque disputandi docet. Quare, sitne definitio recte formata? formane syllogismi legitima sit? an demonstrationi, atque an interpretationi vitium insit? an argumentum oppositum recte solutum sit? cet. iudicare, hoc non est Theologi, vt talis, sed Logici; et quia Logica ex sana ratione, vt omnis philosophia, hauritur, quantum principia rationis formalia faciant ad distinctam, solidam accuratamque veritatum theologiarum cognitionem, in promptu est. Nec sane per tot sententiarum diuortia scinderetur ecclesia christiana, si genuinæ præceptorum Logicorum adplicationis maiorem rationem semper habuissent, qui dogmata religionis tradere sustinuerunt. De quo egregie scripsit Leibnitius in Theodic. Discurs. prælim. de conformitate ration. et fidei §. 27. *Quelque mepris que le vulgaire des modernes ait aujourd'hui pour la Logique d' Aristote, il faut reconnoître qu'elle enseigne des moyens infailibles de resister à l'erreur dans ces occasions* (vbi scilicet respondendum est ad obiectum difficile contra veritatem fidei, sumptum ex ratione sola, et quod dicitur esse demonstratio). *Car on n'a qu'à examiner l'argument suivant les regles, et il y aura toujours moyen de voir s'il manque dans la forme, ou s'il y a des premisses qui ne soient pas encore prouuées par un bon argument.* De cetero quemadmodum auribus ad audiendum, et oculis ad legendum verbum diuinum opus est: ita intellectum ad veritates theologicas distincte percipiendas, *rationem (subiectiue sumptam)* autem ad nexum earum perspiciendum requiri, superuacuum est, vt mox neam, quia ex intellectus et rationis definitionibus id statim adparet.

Et de ratio-
ne subiecti-
ue sumpta.

Natalis Se-
renissimi

His præstructis, officinæ Clugianæ nullo negotio dispelli possent, nisi aliud idque excellentius scribendi argumentum istam disceptationem in aliud tempus me differre iuberet. Scilicet anniuersaria vicissitudine cras, Ciues,

SERE-

XIX.

SERENISSIMVS PRINCEPS ET DOMINVS
FRANCISCVS IOSIAS

DVX SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET WESTPHALIAE

LANDGRAFIVS THVRINGIAE MARCHIO MISNIAE
PRINCIPALIS DIGNITATIS COMES HEN-
NEBERGICVS COMES MARCAE ET
RAVENSBERGAE DYNASTA

RAVENSTEINII CET.

ORDINIS AQVILAE ALBAE REGII POLONICI
EQVES

TVTOR ET ADMINISTRATOR
TERRARVM VINARIENSIVM

SERENISSIMI IVVENTVTIS PRINCIPIS

**ERNESTI AVGVSTI
CONSTANTINI**

DVCIS SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE
WESTPHALIAEQVE CETERA

PRINCIPIS ET DOMINI NOSTRI
CLEMENTISSIMI

oratorum
yllabus.

saluus sospesque diem obit gentilem, quem quo minus
Musæ Gymnasia profectum habeant, et pietas et religio
intercedunt. Quare ut ad commune Procèrum ciuium-
que gaudium Gymnasium pro viribus symbolam confe-
rat, docentium discantiumque nomine communi

I. CHRIST. GVILIELM. SCHNEIDER,

Martinroda-Hennebergicus,

dignus Academiae candidatus, memor verborum Plinii in
Histor. Natur. l. 7. procem. *Hominem nudum et in nuda
humo natura natali die abiicit ad vagitus statim et ploratum,*

de vagitu, prima hominis voce,

verba quidem facturus est; at eadem opera natalem au-
spicatifissimum PRINCIPI INDVLGENTISSIMO
humillime gratulatus, eidem vitæ longæuitatem et omne
felicitatis Principalis genus adprecabitur. Cum autem
reliquis etiam oratoribus argumenta declamationum quæ-
rerem, Iustinus, historiarum scriptor, quem intra ferias
cereales auditoribus explicui, præter opinionem, pariter
ac ante annum spatium, ea suppeditauit. Nam librum
illius tertium exponens, incidebam in Lycurgum, Spar-
tanorum legislatorem tam celebrem, ut oraculum, *Spar-
tam non esse perituram, quam diu Lycurgæ legibus obse-
queretur*, edixerit. Huius igitur instituta ut ad Ly-
dium rationis sanæ lapidem examinarent oratores reli-
qui, eximiae spei iuuenes, auctor iisdem fui; quo sic se
habente,

II. HENRICVS LYDOVICVS NEUBER,

Vinaria superiori oriundus,

de Lycurgo, Spartanorum legislatore celebratissimo,

III.

III. PHILIPPVS FRIDERICVS GAZERT,

Ilmenauensis,

de forma reipublica Spartanorum ex instituto Lycurgi disputabunt; deinde vero, vt ex multis, quæ dici possent, iam quædam tantum proponantur,

IV. CAROLVS FRIDERICVS AUGUSTVS SCHNORR,

Vinariensis,

instituta Lycurgi laudabilia de regendis iuuenum moribus, sed

V. GVILIELMVS FRIDERICVS WEISE,

Flurstadiensis,

improbanda Lycurgi de iisdem instituta exponent. Quemadmodum autem variationis causa oratorum primus et secundus sermone Latino, tertius Gallico, quintus Græco, quartus vero carmine vernaculo vtentur: sic eadem opera simul secundus, quippe qui cum primo propediem in academiarn migraturus est, pariter ac is cum illo olim, publice declamando, sibi laudem peperit*), suo illiusque nomine Mæcenates, Præceptores amicosque valere iubebit. Quare veluti his academiæ Candidatis non tantum abiturum felicem, sed etiam largissimam discendi in academia occasionem, vt, Deo adiutore, Parentum aut Cognatorum expectationem expleant, adprecor: ita vt omnibus oratoribus cras hora IX. matutina MAGNATES, MAECENATES, ORDO SACER, omnesque Musarum PATRONI et AMICI bene-

*) Vid. *Dubiorum de conuersione hominis discussorum Spec. II.*

neuolas aures patefaciant, suisque pro PRINCIPIS salute votis stipent nostra, obseruantissime amantissimeque rogo.

XX.

Votum

Sed voto, quod pietas exigit, oratio finiatur. TIBI, Deus omnipotens, ad cuius gratiam peculiarem semper Vinaria nostra pertinuit, PRINCIPEM, cuius curæ prouidæ nos tradidisti, totamque eius DOMVM SERENISSIMAM, etiam atque etiam commendo; neque vero ego multiplicibus TE fatigo precibus, sed peto a TE vnicum, reliquorum omnium, quæ peti aut possunt, aut debent, fontem atque principium, salutem PRINCIPIS; quo concesso, nec TIBI nobis bene faciendi, nec nobis TIBI gratias agendi occasio vnquam est defutura.

P. P. VINARIAE DIE XXIV. SEPT. MDCCLIII.



Vir. Institutio de consuetudinibus hominum et rerum Spec. II.

99 A 6909

ULB Halle

3

003 931 315




Sl

VD 17

Reho

Hi. 69.





COMMENTATIONIS
DE
ADPLICATIONE METHODI SCIENTIFICAE
AD
THEOLOGIAM REVELATAM
SPECIMEN QVARTVM



IN LVCEM DATVM
A
M. IACOBO CARPOVIO
ILL. GYMNASII VINAR. DIRECTORE MATH. P. P.
REGIAE BEROLIN. ACADEMIAE SCIENTIARVM ET LITTERARVM ELEGANTIORVM SOBALLE

I E N A E,
APVD IOH. ADAMI MELCHIORIS VIDVAE, MDCCLIII.